

mobilia, quæ, quando usus exigit, hinc, illinc flecti & reflecti non nequeant, circa extremitates sint perforata & claviculo terete, cum cochleâ, quâ coarctantur, instructa, atq; sic in congruenti distantia à limbo, cruri Circini mobili affigantur.

PROP. 3.

§. 3.

Disponatur ex aurichalco planum orbiculare æquabilissimè levigatum, diametro circiter 9. digit: Ducantur è centro lineæ circulares, primò duæ, pro graduum minutis, dein sex aliæ æquidistantes, pro minorum secundis, dividantur posthæc exteriores duo circuli in tres, & quilibet pars iterum in quinque sectiones, atq; sic continebit tota peripheria quindecim. Subdividantur insuper singulæ portiones in decem, per quarum puncta trahantur lineolæ è centro, & tali modo prodibunt singula minuta secunda, nullo negotio discernenda: Quibus absolutis perforetur planum in centro ad sufficientem latitudinem, ut axicula, de quâ suprâ, liberum per centrum transitum absq; ullo contactu permittat, planum verò circa extremitatem sustentaculo vel trabecula inferiori, aliquatenus elevata, ope cochlearum firmiter inhereat. Operatio consistit in hoc: Applicetur axicula limbo concavo lenissimo contactu ita, ut, quando spatium unius gradus præcisè transiverit, interea per contactus motum æquabilissimum, periodus ejusdem axiculæ cum indice revolutionis quater exactissimè absolvatur; quod si sæpiùs iterata res ita se habuerit, indicium erit certitudinis, quando igitur e. g. aliquis gradus observatione institutâ, non completè transiverit, tunc index axiculæ firmiter inherens, numeratâ revolutione suâ velocissimâ, certò monstrabit minutum, nec non secundum, sive quod idem est, particulas, ultra gradum præcedentem & quæsitum extantes. Demonstratio facilis: Quaterna revolutio periodica indicis axiculæ affixi, congruit uni gradui limbi præcisè, & quia 15. portiones integræ Zonulæ peripheriæ æquivalent $\frac{1}{4}$ gradui, sequitur, quod istæ quater sumtæ similiter efficiant unum gradum: Posthæc, quia quilibet decima quinta pars iterum in 60. subdivisiones dissecta est, quæ pro minorum secundis habeantur; ideò sequitur, ubi terminus indicis acquiescit, ibi etiam numerum secundorum infallibiliter, si operatio justè instituta fuerit, deprehendi posse.

unus grad. continet 60.

quodlibet. 1. continet 60.

hinc unus 0. - - - 3600.

item: